

[87]

1978

N

12





Kapsel 78 N 12 [87]

DIEM SECVLAREM,

QVO

VIR

MAGNIFICUS, PRÆNOBILISSIMUS
ATQUE EXPERIENTISSIMUS

DN.

JOANNES *Bohn*,

PHIL. ET MED. DOCTOR AC THERAPEVT.
PROF. PUBLICUS LONGE CELEBERRIMUS, CIVITATIS
LIPSIENSIS PHYSICVS ORDINAR. ET FAC. MED.
DECANVS PERPETVVS,

ET

CONJUX

GENERE ET VIRTUTE SPECTATISSIMA,

DN. CATHARINA
SABINA,

MAGNI THEOLOGI

B. HVLSEMANNI

FILIA,

MEMORIAM PRIMARUM NUPTIARUM

ANTE SEMI-SECVLVM FELICITER INITARVM

DIE XX JAN. A. MDCCXVIII.

RARO AEVI NOSTRI EXEMPLE

CELEBRABANT,

VTRIQVE CONJVGVM

ANTIQA FIDE GRATVLBATVR

D. CHRISTIANVS VATER,

IN ACAD. VITEMB. MEDICINÆ PROF. PVBL. ET SERENISSIMI
PRINCIPIS SERVESTANI ARCHIATER.

LIPSIÆ, LITTERIS BARTHELIANIS.



Kapsel 78 N 12 [87]

AK



Descende Pindo Calliope, aut quibus
Nunc laeto oberras tramite montibus,
Nec Vatibus laudata priscis
Villa moram faciant vireta:

Descende lucis ocyus & tuas
Tecum Sorores continuo rape;
Non vilis aut jam trita multum
Materies oritur canendi.

Conspecta raro gaudia, gaudia
Comperta paucis dic, age, tibia,
Seu voce nunc mauiis acuta,
Seu fidibus citharaue Phoebi.

Cui nempe rerum magna Parens sinus
Reclufit omnes & penetralia,
Et quem simul summum medendi
Experientia habet Magistrum;

Vt fila vecors innumera Atropos
Erepta dextrae luxerit haftenus,
Quem magna Doctorem caterva
In patriis veneratur oris.

Quem voce magna Fama per exteras
Dilaudat vrbes, atque alibi parem
Frustra requirit, quem nec vni
Tot monumenta loquuntur aeuo,

Quae fera quondam posteritas leget
Suisque tradet grata nepotibus,
Vir seculis nullis tacendus,
Magnifica BOHNIVS senecta.

Jugi nec interrupto, ait, ordine
Bis quinque lustris Conjugis optimæ
Vixi *maritus*, publicusque
Per totidem clueo *Professor*.

Laetatur, inquam, præteriti memor
Priscosque plausus hac reuocat die,
Et nota sacra seculares
Ipse sibi facit ille ludos.

Coeli atque terræ Conditor optimus,
Mortalis aeui maximus arbiter,
Qui seculorum, temporumque
Imperio regit unus orbes.

Hos duxit annos, huic pietas Tua
Aetasque cordi est; hinc Tibi Copia
Emanat ad plenum benigno
Plurium honorum opulenta Cornu.

Beate, caussa multiplici, BOHNI,
Quod vero nostrum pertinet ad decus,
Inter Sodales ac Amicos
Ordine commemorande primo.

Cui mente nostri tantus amor sedet,
Vt Filium, quem diligis, vnicum,
Spem Patriae Patrisque, nostrum
Jufferis hospitium subire.

Vnde est, quod illi me quoque misceam
Laetus Cohorti, quae bona fundere
Nunc verba certatim, atque plausus
Et promere vota gestit.

Quae gratulatur laetitiam Tibi
Hujus diei, conspicuas nouo
Nitore taedas, seculumque
Officio & thalamo peractum.

Accedo turbae; nec voueo tamen,
Beate Conjux, quam Bona, quæ tenes,
Quae vero multis sunt negata,
Vt Tibi sint diuturna plane.

Longum Tui viuas decus ordinis,
Jungat prioris se Tibi temporis
Vigor, Tuæ robur iuuentæ
Sit placida & viridis Senecta!

Subsisto: Stirps haec sit sobole optima,
Sit plurimis firmata nepotibus,
Qui Seculis ipsi peractis
Gaudia restituant PARENTUM!



VD 18

ULB Halle
003 078 191 3





Kapsel 78 N 12 [87]

DIEM SECVLAREM,

QVO

VIR

MAGNIFICUS, PRÆNOBILISSIMUS

ATQUE EXPERIENTISSIMUS

DN.

JOANNE

PHIL. ET MED. DOCTO

PROF. PUBLICUS LONGE CE

LIPSIENSIS PHYSICVS O

DECANVS PE

ET

CON

GENERE ET VIRTUTI

DN. CATH

SAB

MAGNI TH

B. HVLSE

FILI

MEMORIAM PRIMAR

ANTE SEMI-SECVLVM FE

DIE XX. JAN. A.

RARO AEVI NOST

CELEBRAB

VTRIQVE C

ANTIQA FIDE GR

D. CHRISTIAN

IN ACAD. VITEMB. MEDICINÆ PR

PRINCIPIS SERVESTAN

LIPSIÆ, LITTERIS I



hn,
PEVT.
TATIS
D.
MA,
NA
UM
M
SIMI



Kapsel 78 N 12 [87]

AK

